UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas, Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

23. De cœna apud Bethaniam. Matt. 26.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70978

Visual Library

MEDITATIO XXIII.

De cæna apud Bethaniam. Matt. 26.

CHRISTVS *in domo Simonis leproſi cænabat, & pariter Lazarus, Martha autem miniſtrabat.* Conſidera quãto ſolatio fuerit hæc cæna ſex diebus ante paſſionẽ inſtituta tum Chriſto, tum aliis conuiuis. Chriſto, quod cænaret in cœtu ſuorũ dilectorũ, à quibus ſciebat ſe amore maximo, non in domum modo, ſed etiam cor receptum. Aliis verò, quod ſummopere gauderent, ſe pro beneficiis ab eo acceptis poſſe aliquod grati animi ſignum oſtẽdere. Hoſpes enim Simon à lepra curatus fuerat. Lazarus vitæ reſtitutus. Magdalena ex ſordibus peccatorũ extracta. Martha priuilegium Chriſtum hoſpitio excipiendi, eique miniſtrãdi acceperat. Vnde & nunc in aliena domo miniſtrauit. 2. cõſidera, cur Lazarus, vt fertur, poſt ſuſcitationem ſuam nunquam riſerit, vel aliud lætitiæ ſignũ dederit. nempe tria mirabatur. 1. horrendum Dei iudiciũ & alterius vitæ ſupplicia improbis parata. 2. quod Deus ex tanta maieſtate in tantam vilitatem ob ſalutẽ hominis ſe demiſerit. 3. cæcitatem & ingratitudinem hominum tã-

ti beneficii magnitudinem non æſtimantium, nec futurum iudicium metuentiũ.

2. *Maria fracto alabaſtro vnguentum effudit ſuper caput Chriſti, eiusq; vnxit pedes & capillis terſit, & impleta eſt domus odore vnguenti.* Cõſidera officium Mariæ tanto gratius fuiſſe Chriſto, quanto amor eius longius excedebat aliorum amorem. Alabaſtrum enim illud non erat niſi cor eius amore diuino flagrans; fractio vero nil niſi amoris impatientia in corde bullientis, nil niſi liberalis oblatio, qua non ſolum totum ſuum amorem effunderet Chriſto, ſed & cor ſuũ, quo tanquam vaſe ille cõtinebatur. 2. conſidera, vnguentum fuiſſe pretioſum, quia Deo offerenda ſunt quæ ſunt pretioſiſſima. Eo autem vngimus caput Chriſti, cum omnia opera noſtra dirigimus ad gloriam Dei; pedes vero, cum noſtram, & proximorum ſalutem iiſdem ſyncere quærimus. 3. conſidera, odorem vnguenti totam domum impletam, nempe Eccleſiam, quia generoſum hoc Magdal. factum vbique hactenus in ea celebratum eſt & celebrabitur; vt diſcas magni facere opera caritatis & humilitatis, quæ tam bonum odorem vbique relinquunt.

3. *Cum obmurmuraret Iudas. Vt quid perditio*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ditio hæc? reſpondit CHRISTVS. *Quid moleſti eſtis huic mulieri? Bonum enim opus operata eſt in me.* Conſidera opera bona, quo præſtantiora ſunt, hoc nonnunquam calumniis magis eſſe obnoxia, etiam apud bonos, qui zelo quidem bono, ſed non ſecundum ſcientiam ea carpunt. ſed non ideo à ſeruis Dei omittenda ſunt, modo bona intentione ad maiorem gloriam Dei, & ſalutem animarum exerceantur. Fieri enim non poteſt, vt in omnibus ſemper hominibus ſimul & Deo placeamus. 2. conſidera reprehenſum à Chriſto Iudam, & alios diſcipulos, quod putarent conſultius potuiſſe pretium vnguenti dari pauperibus nã miſericordiam in pauperes alibi ſæpe laudarat. vt diſcas, ſicut arguendi non ſunt qui bona ſua erogant in pauperes, ita nec arguendos, qui erogant in honorem Chriſti, pro extruendis Ecleſiis vel monaſteriis, & vnum bonum opus alteri poſſe præferri, neutrum tamen reprehendi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN